



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

nij Meten. Episcopi, qui eam dedicauit in honorem sancti Tiburtij, Otto Argentinensis. Episcopus Monachos sancti Benedicti dedit, circa annum Domini 742. Henricus Dux Bauariæ Canonicos in Meten, trāstulit ad hanc Ecclesiam Monasteriensem e contra, collocauit in Meren, circa annum 1156. Hæc Ecclesia, aliquoties igne consumpta, desolata & paulatim rursus erecta legitur. Testantur hoc vestigia murorum. Wilhelmus piissimus ac Catholicissimus Princeps pio zelo, cum consensu summi Pontificis, nec non ordinarij Ratisbonen. Episcopi transtulit Collegium hoc Straubingam, ac cum parochiali Ecclesia ibi vniuit, iisdem ferè statutis, regulis, ac priuilegijs, sicuti Collegiata Monachii est Ecclesia, hoc currente 1581. anno, quod Deus bene vertat,

A D D I T I O N E S.

AD habendam aliqualem notitiam foundationis Ecclesiæ Colleg. S. *Tiburtij* in *Pfaffenmünster* alias *Monasteriensis*: Pat: dioc: quæ inter alias Ecclesiæ collegiatae eiusdem dioc: post maiorem Ecclesiam *Ratisp.* prima, tempore *Constantini* Imperatoris quinti circa annos Christi sexcentos quadraginta duos originem cepit. Sed qualiter & super quibus bonis pro tunc fundata fuerit non inuenitur. Idem *Constantinus* Imperator fuit homo pessimus & hæreticus; filius *Leonis* tertij, rexit annis triginta quinque, tandem diuino iudicio percussus interit. Huius temporibus *Zacharias* Papa, facta distributione Episcopatum, *Salzpurgen*, *Eysteten*, *Ratisbonen*: & *Frising*: Legitur etiam in Chronicis, quod tempore eiusdem Imperatoris *Constantini Vtilo* primus Rex, postea *Bauariæ* in prouincia redacta, Dux, & consilio *Priminij Metens*. Episcopi Monasterium inferioris *Altach* ex suo allodio sub monastica professione fundauit, huius filius *Tassilo* ex *Hildrude*, quæ fuit soror *Pipini* Regis qui fuit pater *Caroli* magni, deuotissimus exiit in seruitio & diuino cultu; fundator enim fuit multorum Monasteriorum, scilicet *Polling*, *VVeßesprun*, sancti *Nicolai* * *Patauiæ*, *VVeltenburg*, *Chrembsmünster*, *Lorch* & *Pfaffenmünster*, Idem Monasterio inferioris *Altach* plura dedit, &c. Idem *Tassilo* *Patauiam* ciuitatem *Bauariæ* instaurans & renouans, Episcopatus sedem, quæ apud *Laureacum* erat, priusquam transferebatur, inibi constituit. Hic *Tassilo* sepultus est cum progenitoribus & vxore in *Osterhouen*. Tandem anno Domini Millesimo Centesimo vicesimo septimo defuncto *Heinrico* Imperatore quarto per electores & Principes Imperij in vrbe *Moguntinensi* Dux Saxonie *Lotharius* tertius vir sapiens & industrius in Ecclesiastico seruitio deuotus & præpotens diuitijs & victorijs omnium assensu in Imperatorem eligitur. Et à *Friderico* Archipræsule *Colonien*, benedicitur & inungitur, imperauitque annis vndecim, huius tempore *Heinricus* Dux *Noricorum* proscribitur. Postea Imperator *Fridericus* primus Dux *Sueuiæ* vir largus, strenuus, facundus atque omnibus gloriosus *Romæ* coronatus in Ecclesia, sancti *Petri*, qui imperauit annis triginta octo tempore imperij sui videlicet anno Domini Millesimo Centesimo quinquagesimo quarto, restituit *Heinricum* Ducem *Saxonie* filium, *Heinrici* Ducis *Noricorum* præscrip. in Ducatum *Banariæ* & *Austriæ* qui fuit primus Dux *Austriæ*. Idem, Canonicos in *Metens* transtulit ad Ecclesiam, *Monasteriensem* sancti *Tiburtij*, & Monachos in *Meten* locauit. Tuncigitur prædictus *Heinricus* Dux *Saxonie* Ducatum *Bauariæ* possedit ferè viginti quatuor annis. *Fridericus* Imperator prædictus ipsum proscripsit, & ab honoribus deposuit, substituendo in Ducatum *Noricorum* *Ottonem* Comitem Palatinum, de *Schira* de cuius progenie moderni Duces *Bauariæ* & Palatini *Rheni* processisse asseruntur, Sæpius prædicta Ecclesia

Mona

* de hoc aliter constat.

Monasteriens. desolata & per voraginem ignis consumpta ac paulatim erecta legitur, prout luculenter circa muros vestigia edocent. Super quibus igitur bonis fundata modernis temporibus cernitur, pro maiori parte nomine tenus cum anno soluendorum censuum per partes officiorum celariis & oblaij qui cupidus horum studiosa mente percurritur, reperiet distincte & ad manum sub vno induito.

Puechberg

Hainricus Dei gratia Comes Palatinus *Remi dux Bavarie.* Vniuersis presentium inspecturis declaramus, quod cum fidelis noster *Vlricus* Dapifer de *Eckenmül* montem qui de *Puechberg*, quem a nobis tenebat in feodo cum suis pertinentiis nostris manibus libere resignasset nos pio ducti desiderio montem ipsum cum omnibus attinentiis donauimus & tradidimus iure proprietario in perpetuum Ecclesie *Monasteriens.* quam ratione iuris patronatus speciali tenemur amplecti gratia & fauore. In huius ergo donationis memoriam & stabilem firmitatem, presentem literam eidem Ecclesie dedimus nostri sigilli munimine roboratam cum testibus subnotatis, quorum nomina sunt hæc: *Frid. de Perge, Vlric. dapifer de Eckenmül. Sifrid de Sigmborn. W. de Frauenberch. H. de Puechberg. O. & Al fratres de Strubing. Hainricus* Notarius & alij. Actum in *Haidarv* anno domini M. CC. LX. pridie Idus Iunij.

Reibersdorff.

Nos *Eberhardus* Dei gratia Præpositus *Monasterien. Ratisbon. dioc.* Notum facimus vniuersis presentibus inuenientibus, quod cum Capitulum eiusdem *Monas. Ecclesie* *Conrado* dicto *Prular*, exhibitori presentium quandam piscariam *Ribrechtsdorff* ad præbendam eiusdem Capituli pertinentem in feodo contulisset, petiuit a nobis vt ex officio Præposituræ nostræ ratam concessionem huiusmodi haberemus. Nos igitur petitioni suæ condescendentes quidquid per prædictum Capitulum eidem *Conrado* in prænotata piscaria est concessum liberaliter in idem consentimus & iuxta formam comprehensam in privilegio sigillis domini *Leonis* venerabil. Episcopi *Ratisbon.* nec nõ eiusdem Capituli communicato ratum habere volumus in futurum. In cuius reitestimonium presentem schedulam sigilli nostri robore fecimus communiri. Acta sunt hæc año M. CC. LXVIII. In die beatorum *Procesi & Martiniani.*

Holzwachs.

Nos *Heinricus* Dei gratia, Ecclesie *Ratisbonen.* Episcopus & *Heinricus* Dei gratia Palatinus Comes *Rheni, dux Bavarie* notum facimus omnibus presentibus inspecturis, quod constituto in presentia nostra *Brunone* de *Brennenberch* accepta quadam pecuniæ quantitate, probato primum per sacramentum suum quod quicquid habebat in villa, prope mansionem Canonicorum dictam *Monasterium* apud *Strubing* proprietatis seu allodialis titulo obtineret, ipsum totum cum omnibus sibi inibi attinentibus redditibus iuribus & aliis quibuscunque cum quæsitis & inquirendis pratis, pascuis, siluis & agris Canonicis *Monasteriensibus*, tradidit & donauit perpetuo possidenda; renuncians omni iuri & actioni quod sibi competere poterat aut suis posteris in futurum. Vt igitur talis traditio seu donatio sine calumnia vt pote rationaliter facta procedat.

in euidens testimonium præmissorum præsens instrumentum rogatu partium confici fecimus, & sigillorum nostrorum munimine roborari. Datum *Strubinga* Anno domini Millesimo Ducentesimo LXXXII. XIII. Kal. Maij. Testes *Vlr.* Præpositus *Ratisponens.* dictus de *Dornberch.* C. Decanus Ecclesiæ eiusdem dictus de *Lipurch.* Mgr. S. Scolasticus ibidem, & *Albertus* Archidiaconus. Clerici, *W. de Leonberch,* & *Al. de Hals.* Comites de *Schluzzelberch.* & *Vi. de Abensperch.* liberi. *Con. de Hohenuels,* *Conradus* de *Erenuels.* H. de *Alnhouen* *Al. de Vrovvhenbo.* *Al. de Rotauue.* *Hab. de Sunching.* *Vi. de Punschouen.* H. de *Mosdorff.* *Al. de Strubing.* *R. de Eiach.* *Carolus* de *Strubing.* *Th. Rotter* de *Peutzhouen.* H. de *Ramsperch.* *Conradus* de *Sattlpogen,* & alij quam plures.

IN NOMINE DOMINI, AMEN. Anno ab eiusdem natiuitate Millesimo Quingentesimo Octuagesimo primo, die verò Sabbathi ante Dominicam Oculi, quæ erat vigesima quinta mensis Februarij, Indictione Nona, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Dei nostri, Dn. *Gregorij* diuina prouidentia Papæ XIII. anno nono. Ad honorem omnipotentis Dei, & gloriosissimæ Virginis *MARIÆ*, ac SS. *Iacobi* maioris Apostoli, & *Tiburtij* Martyris, totiusq; Curiaæ celestis, R^{mos.} in Christo Pater & Dominus, Dominus *Felicianus* Episcopus *Scalen.* Nuncius Apostolicus per Germaniam superiorem, & pro Ill^{mo} ac R^{mo} Principe Domino, Dn. *Philippo* Comite Palatino *Rheni*, vtriusq; *Bauariæ* Duce in Episcopum *Ratisponensem* confirmato, eiusdem Episcopatus Administrator a. S. Sede Apostolica specialiter deputatus, translationem Ecclesiæ collegiatæ S. *Tiburtij* Martyris in *Pfaffenmünster* propè *Straubingen* *Ratisponens.* diæcesis aggressus est, de speciali mandato S^{mi.} Domini Papæ, qui circa Ecclesiarum statum iuxta pastoralis officij sui debitum considerationis extendens intuitum, in iis libenter assistit, per quæ animarum occurritur periculis, ac personarum commoditatibus prouidetur, quemadmodum Ecclesiarum ipsarum necessitas exigit, causæ suadentrationabiles, & Catholici populi incrementum exposcit, quatenus Ecclesiarum earundem status augeatur, seu melius reformetur, pro vt rerum, temporum, & locorum circumstantiis pensatis id nouerit in Domino salubriter expedire; ad expositionem ac petitionem Ser^{mi.} Principis ac Domini, Dn. *Guilhelmi* Comitis Palatini *Rheni*, & vtriusq; *Bauariæ* Ducis, prædicto R^{mo.} Domino Nuncio per literas Apostolicas commisit & mandauit, vt prædictum Collegium Ecclesiæ S. *Tiburtij* Martyris ex proprio loco *Pfaffenmünster*, propter causas in cõmissione apostolica sufficienter explicatas, amoueret, & ad parochialem Ecclesiam Sancti *Iacobi* maioris Apostoli in ciuitate *Straubingens.* eiusdem diæcesis existentem, transferret. Proinde idem R^{mus.} D. Nuncius, Sacris Pontificalibus indutus mane hora septima, congregato & conuocato Capitulo dicti Collegij, in prædictæ Ecclesiæ S. *Tiburtij* Martyris Choro, in quo sanè Capitulo (absentibus iam antea in tempore per eorum Decanum, iussu dicti R^{mi.} D. Nuncij, præmonitis ad comparandum) interfuerunt Venerabiles Domini, *Christophorus* *Lenger* Decanus, *Iohannes Baptista* *Pihelmair* Senior, *Vuolfgangus* *Rath* Scolasticus, *Iacobus* *Stetter* Custos, *Leopoldus* *Ziegltrum* Artium Magister parochus, & *Ioannes* *Vueitmair* Officialis, Canonici dicti Capituli, dicentes quod sunt, & repræsentant, & in eos ad præsens residet totum Capitulum prædicti Collegij, seu minor pars ipsius Capituli, & quod non est alius Canonicus dictæ Ecclesiæ, qui ad infra scripta possit, vel debeat commodè euocari, in præsentia, audientia, & intelligentia ipsorum Dominorum Decani, Senioris, & Canonicorum prædictorum, inuocato prius Dei auxilio, & decantato per eiusdem R^{mi.} Dn. Nuntij Capellanum Sacro Missæ officio, de S^{ma.} *Trinitate*, cum solenni depulsaione ornatum.

omnium campanarum, tam prædictæ Collegiatæ quam etiam propinquæ Parochialis Ecclesiarum, & subsequente hymno Veni creator Spiritus, &c. cum suis versu & collecta, assistentibus R^{dis}. Nobilibus & Clarissimis Commissariis Ducalibus, *Sebastiano Frantz* Decano, *Martino Dammio* Canonico Collegiatæ Ecclesiæ *Monachien.* ad *Diuam virginem*, Sac. Theol. Doctoribus, *Wolffango Lucio* Cancellario, *Alexandro Eirle* Consiliario in Regimine *Straubingensi*, nec non *Othauiano Schrenckh*, Cancellario Episcopatus *Ratisponensis* V. l. Doctoribus, & aliis ex populo presentibus, dixit & exposuit, quod prælibato S^{mo}. Domino nostro placuerit, ad requisitionem & instantiam prædicti Ser. mi. *Ba- uaria* Ducis Domini *Guilhelmi*, vt commemoratum Collegium S. *Tiburrij* Martiris ex dicto loco *Pfaffenmünster*, tanquam remoto, solitario, & quasi ignoto, ad quem pauci propter huiusmodi incommoditatem, diuinorum officiorum gratia confluere soleant, in Ecclesiam parochialem *Straubingensis* ciuitatis S^{to}. *Iacobo* maiori Apostolo consecratam, loco admodum celeberrimam, & ædificiis amplam, atque egregie instructam & ornatam, pro augendo cultu diuino, excitanda fidelis populi deuotione, tollendisque periculis & occasionibus peccandi, quæ Clerici extra conuentum & frequentiam hominum habitantes, Sathanæ arida & solitaria loca percurrentis malo instinctu, captare aliquando solent, & prædictæ ciuitatis ornamento ac splendore, transferatur, causas in literis apostolicis contentas singulatim recensens, eosque efficaci oratione adhortans, vt huiusmodi mandatis apostolicis libenter morem gerere, & diuinæ dispositioni sese conformare velint; & in fidem præmissorum idem R^{mus}. Dn. Nuntius literas apostolicas commissionis suæ, non corruptas, nec viciatas, sed sanas & integras, prout ego Notarius vidi, omnibus alta voce prælegi iussit, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis; foris quidem: Venerabili fratri *Feliciano* Episcopo *Scalensi*, nostro & Sedis Apostolicæ in partibus *Germaniæ* Superioris Nuncio. intus vero: *Gregorius* Papa XIII. Venerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex iniuncto nobis desuper apostolicæ seruitutis officio, ad ea libenter attendimus, per quæ seculares & Collegiatæ Ecclesiæ congruis in locis constituuntur. Cum itaque, sicut dilectus filius, Nobilis Vir *Guilhelmus* Dux *Bauariæ*, exponi nobis nuper fecit, in Ecclesia S^{ti}. *Tiburrij* in *Pfaffenmünster Ratisponens.* diæcesis & dominij temporalis præfati *Guilhelmi*, ac pro tempore existentis Ducis *Bauariæ*, cui cura ab immemorabili tempore citra per Capellanum ad id à Capitulo dictæ Ecclesiæ deputatum exerceri solita imminet animarum, Præpositum, quæ inibi dignitas principalis existit, ac cuius Quadraginta, nec non octo Canonicatus, & totidem præbendæ, ac Decanatus, Cantoria, & Scholastria per Canonicos eiusdem Ecclesiæ absque dispensatione apostolica obtinere soliti, ac quorum cuiuslibet ex dictis Canonicalibus & præbendis, fructus, redditus, & prouentus centum ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem valorem annum non excedunt, adsint, ipsaque Ecclesia in loco ignobili & obscuro constituta, & nonnullæ duntaxat rusticorum habitationes reperiantur, ac dictæ Ecclesiæ Canonici non solum cum modico fructu, sed etiam quandoque absque vlllo respectu & obseruatione honestatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ, ac potius cum scandalo, & malo conuicinis exemplo viuant. Quod si Præpositura, Canonicatus, & Præbendæ, ac Decanatus, Cantoria, & Scholastria, aliæque forsân dignitates, seu officia, ac Capitulum vniuersum dictæ Ecclesiæ, in parochialem Ecclesiam S. *Iacobi* maioris, magnificæ admodum & amplissimæ structuræ in oppido *Straubinga* diœc. & dominij præfatorum, quod insigne existit, à dicta Ecclesia S. *Tiburrij* vno-

milliari

milliari germanico distantem, cum omnibus redditibus, & prouentibus, atque ornamentis, & paramentis, & aliis in dicta Ecclesia S. *Tiburtij* ad exercendum ibidem cultum diuinum non necessariis transferretur, utque malis prænarratis occurreretur, ac honestati & commoditati dictorum Canoniorum & aliarum personarum dicti Capituli consuleretur, nec non ipsa Parochialis Ecclesia, & oppidum præfatum magis cohonestarentur, ac diuinus inibi cultus augetur, & dicti Canonici cum maiori fructu, honore & dignitate Deo famularentur in dicto oppido, ubi ipse Dux *Bauaricæ* ex quatuor Regiminibus totius sui status & dominij, tenet vnum Regimen Ministrorum, Iudicij, & Consiliariorum, ipsumque oppidum habet populum frequentem, ac numerosum, & presbyterorum penuria laborat, pro parte dicti *Guilbelmi* Ducis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportune prouiderè de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eundem *Guilhelmum* Ducem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, ut si prædicta vera esse repperis, Præposituram, Canoniatum, & Præbendas, Decanatum, Cantoriam, & Scholasticam, aliaque forsan dignitates & officia, ac mensam Capitularem, cum redditibus, prouentibus, ornamentis, paramentis & aliis præfatis in parochialem Ecclesiam prædictam, sine tamen ipsius parochialis iurium, ac pro tempore existentis Rectoris præiudicio, apostolica auctoritate, quacunque appellatione, seu reclamatione remota, transferas; & ne ex huiusmodi translatione dicta Ecclesia S. *Tiburtij* suo debito seruitio defraudetur, quod in ea Vicarium perpetuum cum assignatione congrua portionis fructuum erigas, Vicariumque perpetuum ad præsentationem dilectorum filiorum Canoniorum & Capituli præfatorum ibidem instituas, auctoritate apostolica tenore præsentium committimus, & mandamus. Dantes tibi plenam & liberam facultatem, & auctoritatem cōtradictores quoslibet & rebelles, & præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendi, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, Non obstan. se. re. *Bonifacij* P. P. VIII. prædecessoris nostri de vna & Consilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium ad iudicium ultra tres dietas non trahatur, aliisque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ Sancti *Tiburtij* juramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis; Quibus omnibus eorum tenores præsentibus præ expressis habentes, illis alias in suo robore permanens hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. *Rome* apud Sanctum *Petrum*, sub anulo piscatoris, Die XXV. Iunij, M. D. LXXX. Pontificatus nostri Anno Nono. *Cas. Glorierius*. Quo perlecto, & per eundem R. Mum. D. Nuntium ad maiorem omnium intelligentiam fusius exposito, quæsiuit ex Canonicis præsentibus & audientibus, num in dictam translationem consentiant, & an aliquid in oppositum haberent nec ne, qui deliberandi causa digressum paulisper postulant & obtinentes, in Sacrarium, quod inibi prope Altare summum existit, secesserunt,

runt, ac post maturam consultationem & deliberationem inter sese habitam, redeuntes, R^{mo}. Dn. Nuntio per Seniores, suam obedientiam cum omni submissione aperuerunt, iterumque interrogati singuli in dictam translationem unanimiter consenserunt, per verbum: *Placet*, sese in omnibus S^{mi}. Dn. nostri voluntati, & sanctæ dispositioni subijcientes, ac petentes se quam humillime eius Bⁿⁱ. commendari & excusari de scandalis aliquorum, maxime prædecessorum, quæ iam sublata & emendata sint, quod se facturum R^{mus}. Dn. Nuntius gratiose recepit. Post hæc sæpè dictus R^{mus}. D. Nuntius dictum Collegium S. *Tiburtij* Martyris, ex loco *Pfaffenmünster*, cum omnibus juribus, privilegiis, redditibus, prouentibus, & pertinentiis quibuscunq; nec nō ornamentis, & paramentis, & aliis in dicta Ecclesia S. *Tiburtij* ad exercendum ibidē cultum diuinum nō necessariis, in dictam Ecclesiam S. *Iacobi* maioris Apostoli ciuitatis *Straubingensis*, iuxta literarum Apostolicarū tenorem, iure, via, modo, causā & forma, quibus, & prout melius, & efficacius potuit, & potest, ac fieri & esse possit, seruato ritū, qui in talibus de iure vel consuetudine requiri solet, transtulit, atq; huiusmodi translationē pronunciauit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ne autē dicta Ecclesia Sancti *Tiburtij* debito cultu & honore priuaretur, Vicariam perpetuam in ea cum assignatione congrua portionis fructuū erexit, Vicariumq; perpetuū ad præsentationē Capituli prædicti ibidē instituit. Quibus ita expeditis sequentū est canticū: Te Deum laudamus, &c. cum versiculis & Collectis de S^{ma} *Trinitate*, Sanctis *Tiburtio* & *Iacobo* apostolo, & campanæ depulsatæ. Priusquā vero ab inuicem discederent, in huius actus conclusione R^{mus}. D. Nuntius mandauit prædictis Dominis Canonicis, vt sequenti die, quæ erat Dominica *Oculi* omnes suppelliceis induci cū processione, præeunte Cruce, *Straubingā* ad fores dictæ Ecclesiæ S. *Iacobi* maioris Apostoli comparerent, possessionē accepturi, Super quibus omnibus & singulis dicti tam R^{mus}. D. Nuntius, quā Dn. Canonici me Notarium infra scriptū requisauerunt, quatenus vnū vel plura, publicū, seu publica cōficere Instrumentū & Instrumenta. Acta sunt hæc in loco, a^{no}, die, mense, indictione, ac Pontificatu supradictis. Præsentibus R^{dis}. Sac. Theol. Doctoribus, Dominis *Sebastiano Franz* Decano, *Martino Dummio* Canonico Collegiatæ Ecclesiæ *Monaebien*, ad Diuā *Virginē*, Commissariis Ducalibus, & *Matthæo Cromero* presbytero, Hospitalis S. *Catharinæ* ad pontē *Ratisbon*. Ciuitatis Magistro, nec non Clarif. I. V. Doctoribus, Dn. *Wolfgango Lucio* Cancellario, *Alexandro Eürle* Cōsiliario in Regimine Ducali *Straubingen* & *Octauiano Schrenckh* Episcopatus *Ratisbon*. Cancellario. testib. ad hoc specialiter vocatis, rogatis, & requisitis. Die autē sequenti, quæ fuit Dominica *Oculi*, videlicet XXVI, mensis Febr. eorundē Anni, Indictionis, & Pontificatus, iuxta mandatū supra nominati R^{mi}. Dn. Nuncij Apostolici &c. mane hora septima, supradicti Domini Canonici suppellicies induci processionaliter cū Cruce ad portā Ecclesiæ S. *Iacobi* *Straubingæ* cōparuerunt, quos R^{mus}. D. Nuntius Sacris Pontificalibus indutus, cum eiudē Ecclesiæ Clericis processionaliter obuiā procedens suscepit, & præsentē vsq; ad finē magnā populi multitudine, in Ecclesiam introduxit, omnes ante summū Altare constituens, depulsatis in ærim campanis & organis. Ibi iterū prælectū est Breue apostolicū, ac decantato hymno: Veni creator spiritus, &c. Cum versiculo: Emitte Spiritum, &c. & Collecta: Deus qui corda fidelium, &c. omnes Canonici interrogati in huiusmodi translationem rursus consenserunt, & priorem obedientiam, ac sententiam libenter confirmarunt, atque ita R^{mus}. D. Nuntius translationis formulam iterauit, eam pronuncians, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, assignans etiā cuiq; pro loco & gradu stallum in Choro. His statim subsequutum est canticū.

Te Deum laudamus, &c. adhibitis organis, cum collectis de Sanctiss. Trinitate, & Sanctis Iacobo maiore Apostolo ac Tiburtio martyre & circulari processione per Ecclesiam interius instituta, R^{mus}. D. Nuntius solenne Missæ officium de Sanctissima Trinitate de SS. Iacobo & Tiburtio prædictis, dictæ Collegiatae Ecclesiæ Patronis solenniter cantauit, & post Symbolum Apostolicum habita est per superius nominatum Canonicum Seniore Concio germanica ad populum, in qua iussu & mandato R^{mi}. D. Nuntij huiusmodi Translationem promulgauit necessariis circumstantiis, rationibus, causis, & conditionibus ad longum explicatis, quarum occasione talis translatio instituta, & ad effectum adducta esset, & noui, siue potius translati Collegij, & Ecclesiæ Patronos Sanctos Iacobum maiorem Apostolum, ac Tiburtium martyrem edixit, ac post generale Confessionem, quæ in fine concionis dici solet, R^{mus}. D. Nuntius dedit populo benedictionem cum indulgentiis. Atque ita huic etiam actui impositus est finis, seruato in omnibus ordinario processu, pro vt de iure, vel consuetudine oportuit. Super quibus omnibus & singulis dicti, tam R^{mus}. D. Nuntius, quam Domini Canonici, me Notarium infra scriptum requisierunt, quatenus vnum vel plura, publicum seu publica conficerem Instrumentum & Instrumenta. Acta sunt hæc in supradicta Ecclesia Sancti Iacobi Ciuitatis *Straubingen*. Dominica Oculi, Anno, Mense, & Pontificatu, quibus supra, Præsentib. R^{dis}. Sac. Theologiæ Doctoribus, Dominis *Sebastiano Franz* Decano, *Martino Dummo* Canonico Collegiatae Ecclesiæ *Monachien*. ad *Dinam virginem*, Commissariis Ducalibus, & *Mattheo Cromero* Presbytero Hospitalis Sanctæ *Catharinae* ad Pontem Ciuitatis *Ratisponen*. Magistro, nec non Clarif. V. I. Doctoribus, Dominis *Wolfgango Lucio* Cancellario, *Alexandro Eürle* Consiliario in Regimine *Strubingen*. & *Octauiano Schrenckh*, Episcopatus *Ratisponen*. Cancellario, testibus ad hoc specialiter vocatis, rogatis, & requisitis.

Et ego *Caspar Kunavv*. Vratislaiuen. diæces. Sac. Apost. auctoritate Notarius pub. & prælibati R^{mi}. D. Nuntij &c. Scriba juratus, quia suprascriptis omnibus & singulis, Capitularium conuocationi, Sacri Missæ officij decantationi, solenni Campanarum depulsationi, Spiritus S. inuocationi, propositioni, adhortationi, literarum apostolicarum prælectioni, consensus Capitularium requisitioni, ac præbitioni, subiectioni, & purgationi, nec non supra scripti Collegij S. *Tiburtij* Martyris ex loco *Pfaffenmünster* ad Ecclesiam Parochialem *Straubingensem*. S. *Iacobi* maioris Apostoli, per R^{mus}. D. Nuntium, hacq; in parte Executorum apostolicum factæ translationi, in dicta Ecclesia S. *Tiburtij* Martyris perpetuæ Vicariæ erectioni, institutioni, expeditioni, ac denique Te Deum laudamus &c. decantationi. Die etiam sequenti Processionali Capitularium ad portam Ecclesiæ *Straubingen*. ex R^{mi}. D. Nuntij prædicti mandato comparitioni; susceptioni, introductioni, & tam Companarum, quam Organorum depulsationi, secundariæ Breuis Apostolicis prælectioni, ac Veni Creator Spiritus &c. decantationi, nec non repetito in factâ translationem consensui, translationis pronuntiationi, stallorum Canonicis ibidem assignationi, Canticique Te Deum laudamus &c. & post Sacri Missæ officij per eundem R^{mus}. D. Nuntium solenniter in Pontificalibus celebrati decantationi, germanicæ concioni, & dictæ translationis ad populum promulgationi, atque cum Indulgentiis benedictioni, totique huic actui, vna cum prænominatis Dominis Testibus, specialiter vocatus, rogatus, & requisitus præsens interfui, eaq; omnia sic fieri vidi & audiui, ideo hoc præsens Instrumentum manu alterius fideliter descriptum subscripsi, Signumque meum Tabellionatus appofui consuetum, in fidem.

ac robur omnium præmissorum, cum appensione sigillorum prædicti R^{mi}. Dⁿⁱ. Nuntij Apostolici, &c. ac Consistorij Episcopalis *Ratisbonens.*

Ego idem *Caspar Kuna* VV. Not. pub. qui supra,

Subscr. manu propria.

FR. *Felicianus* Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus *Scalen.* ad partes *Germania* superioris S^{mi}. Dⁿⁱ. nostri D. *Gregorij* diuina prouidentia Papæ XIII. dictæq; sedis Nuntius, cum potestate legati de latere, &c. & Administrator Episcopatus *Ratisbon.* &c. R^{dis}. nobis in Christo dilectis, Præpositio, Decano, & Vniuerso Capitulo Collegiæ Ecclesiæ *Straubingen* Sanctorū *Iacobi* Maioris Apostoli, ac *Tibur-tij* Martyris, *Ratisbon.* Diæcesis, salutem in Domino sempiternā. Quoniam circa translationē Collegij S. *Tibur-tij* Martyris ex pago *Pfaffenmunster Ratisbon.* Diæcesis, & Dominij tēporalis Ser^{mi}. Principis Dⁿⁱ. *Guilbelmi* Comitis Palatinū *Rheni,* & vtriusq; *Bauaria* Ducis, quæ à nobis prælibati S^{mi}. Dⁿⁱ. nostri iussu & mandato ad petitionē prædicti Dⁿⁱ. *Guilbelmi* Ducis, vbi causas translationis in literis Apostolicis explicatas veritate fulciri compereramus, in Parochialem Ecclesiam S. *Iacobi* maioris in propinquo oppido *Straubinga* Diæcesis ac Dominij prædictorum existentem facta est, in publicis Instrumentis, quæ plura ad nostrā & Collegij prædicti requisitionem per Notariū ac Subsecretarium nostrum confecta sunt, totummodo ritū, ac cæremoniā quæ duobus successiuis diebus in huiusmodi translatione exequenda interuenerunt, nec nō ipsius translationis, & datæ possessionis, ac perpetuæ Vicariæ erigendæ, idq; genus aliorū facta mentio est, prætermisissis aliquibus, q̄ nō solum ad prædictā translationem melius intelligendā, sed etiā ad prædictam Ecclesiam S. *Tibur-tij* in *Pfaffenmünster* vna cum parochiali propinqua S. *Martini* debite conseruandam, necessario explicanda videntur, idcirco nos hæc, quasi per quædā capita breuiter tradenda & exponenda præsentū tenore duximus. Primum omnium itaque, cum iuxta mandata Apostolica, Præposituram, Canonicatus, & Præbendas, ac Decanatum, Cantoriam, & Scholastiā, aliaq; officia, ac Capitulū vniuersum ex dicta Ecclesia S. *Tibur-tij*, cum omnibus redditibus & prouentibus atque ornamentis & paramentis, & aliis ad exercendū ibi diuinum cultū non necessariis, nec non iuribus, priuilegiis, & pertinentiis omnibus in prædictā parochialem *Straubingen.* S. *Iacobi* maioris transfulerimus, etiā onera tam fundationis & anniuersariorū, quam alia omnia simul esse, translata intelligantur, ita vt Collegiū translātū singulis annis huiusmodi oneribus omnibus debito tēpore satisfacere teneatur. Secundo, Parochialis Ecclesiæ prædictæ S. *Iacobi*, ac pro tēpore existentis Rectoris iura quo ad Sacramentorum administrationem, & curā animarū integra & salua maneant: nisi quod cum dicta Parochia fuerit olim ex Templo S. *Petri* extra portas Ciuitatis in suburbio posito, in hoc S. *Iacobi* intra muros translata, non habita sufficienti ratione animarum extra ciuitatē sub dicta parochia cum magno numero existentū, cum sæpe contingat, maxime noctu, clausis ciuitatis portis, infantes baptizandos, & animam agentes, qui in suburbio & propinquo pago cōmorantur, salutis periculo exponi, statuimus & volumus, vt vtrumque templum prædictum habeat posthac suum proprium Rectorem ab eo, ad quem de iure spectat, Ordinario Episcopo *Ratisbon.* pro confirmatione præsentandum, cum necessariis sacellanis, qui necessitate exigente sibi commissis de Sacramentis Ecclesiæ prouideri possint omni tempore, tam intra, quam extra ciuitatem. Qua ratione autem, prouentus annui ad vtriusque honestam sustentationem diuidendi & assignandi sint, peculiari ordinatione decernemus. Tertio ne ex huiusmodi Trans-

latione Ecclesia S. *Tiburtij* in *Pfaffenmunster* suo debito seruitio defraudetur, in ea Vicariam perpetuam ereximus, cuius Vicarij perpetui presentatio, ad Canonicos & Capitulum, confirmatio vero, post illius, quem nos jam instituimus, mortem, deinceps ad Ordinarium Episcopum *Ratisbonens.* semper pertineat. Quarto in Altari maiori S. *Tiburtij* sex Missæ in hebdomada à dicto Vicario per se, vel alium celebrentur, singulis diebus vna, & dies septimus, qui intermittetur, sit profestus. Quinto Vicario perpetuo prædicto deputetur domus commoda cum annexo horto prope templum, ac centum floreni in moneta communis estimationis, sexaginta cruciferorum pro annua prouisione assignentur, partim in pecunia, & partim in valore. Sexto, vt Vicarius perpetuus prædictus honestius se possit sustentare, & officio suo melius satisfacere, incorporetur, & vniatur etiam Vicariæ perpetuæ beneficium simplex S. *Andree* in dicta Ecclesia S. *Tiburtij* existens, cum omnibus bonis, redditibus, iuribus, ac pertinentiis suis, ita tamen vt in dicto Altari S. *Andree* tres Missæ hebdomadatim, videlicet Dominica, & feriis quarta ac sexta celebrentur, & ob id Vicarius Sacellanus habere teneatur, cui congruam portionem assignet, ac domum cum horto annexo, ad dictum beneficium spectantem. Septimo, Parochus Ecclesiæ S. *Martini*, quæ in cæmeterio S. *Tiburtij* existit, teneatur in sua parochiali, quam remoueri nolumus, singulis diebus dominicis & festis, ac feriis sextis, iuxta vetustam dictæ Ecclesiæ consuetudinem sacrum facere, ad cuius maiorem sustentationem, non solum bona, domus, agri, redditus, decimæ, iura, & pertinentiæ omnes dictæ parochiæ remaneant, sed etiam vniatur & incorporetur beneficium simplex B. *Mariæ* in prædicta Ecclesia S. *Tiburtij* existens, cum omnibus bonis, redditibus, iuribus, ac pertinentiis suis, in cuius tamen Altari hebdomatim feriis secunda, tertia, & quinta celebretur, ob idque parochus cooperatorem alere teneatur, cui domum propriam dicti beneficij cum horto adiuncto, congruam prouisionem assignet, quod vt commodius fieri possit, addatur & beneficium simplex B. *Mariæ* in Cæmeterio parochiæ *Stainach*, vel aliud S. *Georgij* in Castro *Stainach*, vel aliud super carnario ad animas ibidem, quæ omnia nunc vacant à multis annis, qui locus etiam non ultra quartale milliaris germanici à prædicta Ecclesia in *Pfaffenmunster* distat ita tamen vt iuxta foundationem huiusmodi beneficij obligationibus satisfiat. Octauo omnes prædicti tam Vicarius cum suo Sacellano, quam Parochus cum cooperatore teneantur in Ecclesia S. *Tiburtij* in vigiliis festorum, ac diebus Sabbathinis vespers, & ipsis Dominicis & festis diebus, non modo Vespers, sed etiam cæteras horas Canonicas, ac summum cantare officium. Nono, vt omnia in mutua pace, concordia, ac tranquillitate fiant & agantur, suademus vt tam Vicaria quam Parochia prædictæ vni personæ committantur, ita tamen, vt sustentare tres presbyteros teneatur, Cooperatorem propter parochialem Ecclesiã prædictam, ac duos Sacellanos propter dicta beneficia. Quod si contigerit ex impedimento dictorum beneficiorum aliquod non posse coniungi, vel coniuncta non sufficere ad quatuor sacerdotum, vt præmissum est, sustentationem, maxime quo tempore annona cariorerit, quod Capitularium iudicio committimus, illorum conscientiam in hoc onerantes, tunc Vicarius prædictus ad minus duos alios Sacerdotes secum habere teneatur, & Capitulares interim prouideant, vt dictis beneficiis in *Pfaffenmunster* pro necessitate & exigentia satisfiat. Decimo, Prepositus prædicti Collegij translati retineat jus, quod prius habebat, presentandi Ordinario Episcopo *Ratisbonen.* parochos Ecclesiarum dicti S. *Martini* in *Pfaffenmunster*, & B. *Mariæ* in *Stokwang*, & S. *Laurentij* in *Veldtkirchen*. Et quia omnes redditus ac prouentus, tam

Prepo-

Præposituræ & Decanatus, quam aliorum officiorum Capituli gremio vnita & incorporata sunt, nec non Præposito & Decano cuiq; duplicata præbenda est assignata ex corpore Capituli, ob id quadraginta floreni, qui ex Vicaria perpetua parochiæ in *Veldkirchen* annuatim Præposito numerabantur, in posterum Capitulo cedant, & soluantur. Vndécimo Præpositus ac Decanus, vt etiam antea fieri solebat, semper ab Ordinario Episcopo *Ratisbon.* confirmationem suam accipiant, cui etiam taxam ordinariam numerare teneantur. Duodecimo ex Ecclesia *S. Tiburtij* ornamenta ac paramenta non prius ad nouam Collegiatam Ecclesia *S. Straubingen.* transportentur, quam nostra accesserit dispositio, vt quæ in dicta Ecclesia *S. Tiburtij* necessaria videbuntur, ad cultus diuini vsus relinquatur. Ex parochiali autem *S. Martini* de ornamentis & paramentis nihil plane amoueat. Tertiodecimo, Statuta omnia, quæ habebatis ante translationem, suspensa esse volumus, donec ea à nobis reuisa, emendata, & ad Sacrorum Canonum, præsertim Concilij *Tridentini* & Synodi prouincialis normam reuocata, accomodata, ac reformata fuerint, additis aliis necessariis, quæ ad nouæ Collegiatæ Ecclesiæ conseruationem & splendorem pertinere videbuntur, quibuscunq; in contrarium non obstantibus. In quorum omnium & singulorum fidem ac testimonium præmissorum, has patentes literas confici, & sigillorum tam nostri, quam Consistorij *Ratisbonen.* appensione communiri mandauimus. Datū *Ratisbonæ* in Aula Episcopali, Anno virginæ partus M. D. LXXXI. die vero XXIX. mensis Martij. Pontificatus præfati Sm̃i Dn. Papæ *Gregorij XIII.* Anno Nonno.

Fr. *Felicianus* Episcopus *Scalen.* N. A. & Administrator Episcopatus *Ratisbonens.* manu propria.

Ioannes Baptista N̄ing. ad ad Reg.
Ioannes Fenzonus Secr. de m̄to. &c.

Præpositorum Ecclesiæ Collegiatæ *Pfaffenmunstren.* in *Boico* cum vetustissimis comparandæ nomina, & quibus vixerint annis, vt plurimum intercederunt; quæ tamen studio & industria R^{di.} admodum Dn *Matthiæ Eberspergeri* SS. Theologiæ D. moderni Decani Collegiatæ Ecclesiæ SS. *Iacobi & Tiburtij Strubingæ* ex antiquis monumentis erui potuerunt fideliter hic repræsentamus.

BERCHTOLDVS præfuit circ. an. Dn. 1267.

EBERHARDVS vixit circa an. 1269. in literis suis titulo vsus: Nos *Eberhardus* Dei gratia Præpositus *Monasteriensis.*

CONRADVS an. 1289.

FRIDERICVS à *Schlözzelberch* Canonicus *Ratisbonen.* Præpositus, vix. an. 1302.

IOANNES *Cammerarvver de Haitstain,* an. 1335. vsus tit. Nos *Ioannes* à *Cammerarv.*

MICHAEL an. 1394.

VLRICVS *Käflin,* an. 1447.

VLRICVS *Arsinger* Doct. *Alberti Boio* Duc. Consiliarius, An. 1453.

IOANNES *Titzlau* Canonicus *Augustan.* & *Eichstadien.* Parochus *Straubingen,* & Administrator in *Pfaffenmunster.* an. 1479.

ALBERTVS *Sim Hof,* Decretorum Doctor Canonicus *Frisingen.* an. 1500.

AMBROSIVS *Schvartzhofer,* B. Mariæ Virg. ad *Veterem Capellam,* & *Monasterien.* Præpos. an. 1509.

Metrop. Salisb. Tom. III.

k 2

BERN-

BERNHARDVS à *Waldkirchen*, Vtr. Iur. Doct. Canonicus & Custos *Augustanus*, an. 1515.

WOLFGANGVS à *Seyboldsdorf* in *Schenckenaww*, artium & Decretorum Doctör, Collegiatar. Ecclesiarum B. *Mar. Virg. Monachij*, & *S. Tiburtij* in *Pfaffenmünster* Præpositus, Canonicus *August. & Ratisbonens.* an. 1528.

VITVS *Tuchsenhauser* D. Consiliarius *Bauaricus* & plebanus *Strubingen*, an. 1551.

ERNESTVS *Prandt*, qui in literis suis se scripsit : Canonic. *Berchtesgaden*, ac prouisione Dei Præposit. *Monasterien*, an. 1567.

VRBANVS *Winkelmayr*, parochus Ecclesiæ *S. Sixti* superioris *Parcksteten*. Ob. 3. Octobr. anno 1575. *ibid.* sepultus.

ALBERTVS *Hunger*. SS. Theologiæ D. Procancellarius & Professor almæ Vniuersitatis *Ingolstadien*. Canonicus *Passauen. & Eichstadien*. vir incomparabilis doctrinæ & vitæ integerrimæ.

PLUMENTAL ORDINIS S. MARIE
FRATRVM TEUTONICORVM.

DE prima institutione istorum ordinum, nempe *S. Ioannis*, Templariorum, ac *S. Mariæ Teutonicorum*, vide *silubet*, *Volateranum*, lib. *Antropologiæ* 21. *Ioann. Nauclerum* in *Chronica*, lib. 2. *Generat.* 37. *Münsterum* & alios.

PLUMENTAL & *Aicha* fuerunt olim, nempe Anno 1350. duæ distinctæ domus ac commendaturæ ordinis Teutonici, quæ ab vno Magistro sunt gubernatæ. *Auentin*, in suamet translatione *Annalium* ponit : Ducem *Ludouicum*, primum huius nominis, hanc ædem *Plumental* fundasse, sed in *Latinis Annalibus* nihil de hoc. At in libro *traditionum*, seu in *Chronica* fundationis *Vnderstorfensis* Monasterij scribitur, *Ottonem* Comitem de *Witlsbach*, fundatorem *Ensdorf* & *Vndensdorf*, fundasse Monasterium *Kuebach*, & ædem illam in *Aicha*, De *Kuebach* aliter seres habet, quod fundatum est à Comitibus ab *Ebersperg*. De æde in *Aicha* & *Plumental* nihil certi adhuc comperi. Nam diplomatum fundationum videndorum hæcenus facultatem non habui.

DESTRUCTO post occisum *Philippum*, Romanorum Regem, *Ottonis* *Witlsbachij* occisoris castro *Witlsbach*, *Ludouicus* *Bauariæ* Dux, patruelis suus, Templum ibidem Deiparæ *Virginis* condidit, & sacratis militibus tradidit, ex reliquis lapidibus *Aicham* deuectis, ciuitas ibi cõdita, ac muro cincta est. *Auentin*, in *Annalib.* fol. 661.

RETRO altare Chori ibi in *Plumental* scriptus est rythmus Germanicus, numeris syllabarum non admodum quadrans.

Berchtolt Graf von Schiltperg ward ich genant/
Der Teutsch Orden war mir in solcher Ehrwürdigkeit bekant/
Das ich ihnen das Haus mit etlichen zugehörigen thet geben/
Gott verseyh mir/ vnd vns allen das ewig Leben. Amen.

NULLVM inuenio *Berchtoldum* Comitem, sed bene *Berchtoldum* *Marchalcum* de *Schiltperg*. Eratenim hic *Berchtoldus*, *Marchalcus* Ducis *Bauariæ* *Ludouici*, patris *Ludouici* Imperatoris, Anno 1262. huius filij, *Vlricus*, *Henricus* & *Conradus*; post quorum obitum lis suborta inter *Ludouicum* prædictum & fratrem eius *Henricum*, Ducem inferioris *Bauariæ*, super feudis ipsorum, compromisso seu laudo decisa est, vt feudalia, semotis allodialibus, inter ipsos æqualiter diuiderentur, A. Dom. 1286. Extant diplomata *Monachij*.

L V D O.